

tati conjunctam , & quod æternum sit , immensum , sacrum ,
cum corruptibili & dimenso confusum . Nec miretur aliquis ,
cur Deus summus id fecerit , quia oportuit : nec an id fieri
potuerit , quia voluit : omnia enim quæ vult , potest . Sed
riserit hæc aliquis , quasi vanam & anilem quandam observationem : stultumque putet , dierum ullum discrimen crede-
re : verum putet , nos non parum ad rerum initia idoneum
diem illum arbitramur , quo semel atque iterum nobilissime
sit natura operata .

Quum igitur sub ipsam originem undique magnis pollici-
tationibus ad novam urbem incolendam homines rei mariti-
mæ navalisque fabricæ periti accerferentur : neque servilis
fortunæ quenquam , neque sicarium scelestumque aliquem in
eam receptum affirmant : ex quo manifeste apparet , viros
illos optimos urbis conditores noluisse nascentem civitatem
prava ulla convenarum colluvione contaminari . Quod ipsum
non modo non fecerunt illustrium urbium conditores qui-
dam , sed ultro flagitosissimum quenque aperto , ad hoc ipsum
Asylo , in civitatem evocaverunt : verum illi frequentiæ , hi
morum sanctitati nobilitatique suæ consultum voluere .

Crescebat in dies nova civitas multitudine & ædificiis :
quum ignis repente ortus ex architecti domo , momento tem-
poris quatuor & viginti casas continuato incendio absumpfit :
& quum materies ad ædificandum temere disjecta ipsum in-
cendium aleret , appareretque humana ope conceptam pe-
stem tam facile restingui non posse , in preces versa civitate ,
votaque divo Jacobo æde , urbs præsenti clade servata est .
Ædem ad hunc diem inter Rivaltinæ mensas cum vestigio
vetustatis cernimus .

Sed primam hanc , de qua loquor , ædificationem tenuem
ad modum fuisse crediderim , cuius speciem magis domorum
frequentia quam apparatus ullus fecerit , multis in præsen-
tem usum sibi ex palustri materia domicilia parantibus , con-
silio non multo post in continentem abeundi , si Hunnus Ita-
liam non invaserit . Sic quoque quia Athilæ adventus in ali-
quot annos dilatus est , a multis in pristinas sedes inde remi-
gratum ferunt . Post enim tanti belli famam Subthar Man-
dluci

*Qui homi-
num in no-
vam civi-
tatem asciti .*

*Nascentis
urbis incen-
dium .*

*Vetus civi-
tatis par-
monia .*